

P d. 67.

nicht verfilmbar

II Gymnaeus, Joh. Jacob

mebr 29-46)

Ed 67  
nicht weiter verfilmbar  
nicht PK

(30) = NF

Pfälz. Wappen (durch)

5

**ALTERA DE POENITENTIA**  
*DISPVATATIO: QVA PONTIFICO-*  
*rumerrores de hac refutantur.*

De qua  
Divini Numinis aspirante gratia:

**A V T H O R E E T**  
**P R A E S I D E , C L A R I S S I M O V I R O ,**  
*IACOBO HEERBRANDO, S. S. THEOLOGIAE*  
*Doctore & Professore Academiae Tbingensis eximio,*  
*præceptore suo summa obseruantia colendo, 2. Aprilis,*  
*bora 6. matutina, exercitij causa pro ingenij*  
*sui tenuitate, respondere cona-*  
*bitur.*

**M. PHILIPPVS GALLVS**  
*Halensis Saxo.*



*Ed. 67*

*T V B I N G A E ,*  
*Apud Alexandrum Hockium, Anno 1585.*

*W*

Jakob Heerbrand

ANNUAL REPORTS OF THE COMMISSIONERS  
OF THE CIVIL SERVICE COMMISSION.

# ДЕЯНИЯ

ОЯИВ ОЛІЕЗІ СІДЛІСІ СІДЛІСІ

## DE POENITENTIA DISPU- TATIO ALTERA.

I.

**C**um precedentis disputatione, veram & genuinam sententiam & doctrinam de pœnitentia, ex Scripturæ sacro-sanctæ fundamentis exposuerimus: reliquum est, ut iam hac, sicut in fine illius promisimus, aduersariorum Pontificorum opiniones, errores & falsa dogmata, de eadem preponamus, verbiq; diuini testimonijs refutemus.

2. Labyrinthos autem habent inextricabiles propemodum, & errores terros defendunt in hac maximè necessaria & salutari doctrina, quam obscurauerunt tenebris plus quam Cimmerijs & Aegyptiacis, conscientiasq; miseris perturbauerunt, & excarnisicarunt, quæ consolanda & erigenda hac doctrina erant. Vnde orta est confusio doctrinæ cœlestis in Ecclesia, plurimiq; horrendi errores, quos in eam inuixerunt.

3. Primum enim Pœnitentiam inter Sacra menta verè, & propriè dicta numerant, & de publica Pœnitentiæ actione, quam Exomologes in vocarunt, intelligunt, quæ tamen amplius in usu non est, sicut in Ecclesia fuit usurpata.

4. Nolumus autem odiosè de vocabulo Sacramenti litigare. Quòd si enim generaliter vocabulum Sacramenti sumatur, pre quauis, quæ diuinam habet annexam promissiōnem, non inficiamur, hoc modo, & hac vocabuli significacione, Pœnitentiam, posse Sacramentum dici. Habet enim promissiones amplissimas vera Pœnitentia. Ut, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Item: Si autem impius ege- Ezech. 18.

A 2 rit pœ-

## De pœnitentia

erit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, viuet, & non morietur. Nunquid voluntatis meæ est, mors impii, dicit Dominus, & non, ut conuertatur à viis suis, & viuat?

5. Propriè verò sumpto vocabulo Sacramenti, pro re sacra, quæ constet elemento proprio, habente annexam permissionem gratiæ in verbo Dei, instituta diuinitus: in numerum Sacramentorum pœnitentia non est referenda: quod careat elemento proprio, quod ad Sacramenti substantiam constituendam necessariò requiritur.

6. Nam quod ad confirmandam suam opinionem afferunt *Ioan. 20.* Christi dictum & factum, quo insufflavit Christus discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retentæ sunt. Nequaquam nouum illic pœnitentia Sacramentum instituit, sed Ministerium Ecclesiasticum suis demandauit Apostolis, eorumq; successoribus, ut & publicè in concionibus suis, & priuatim singulis, in se credentibus, peccatorum remissionem, incredulis verò eorundem retentionem annunciascent.

7. Nec aliud, aut diuersum hoc suo facto, & verbis istis voluit, quam cum in die Ascensionis illis dixit: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creature, & baptisate eos. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

8. Sic quod in Compendio Theologiae assertur, materiam visibilis elementi (in Sacramento pœnitentia) quæ sit signū & causa gratiæ, esse exteriorem substantiam sive actionem humanam: Res nempè & verba. Verba quæ sunt in confessione, & absolutione. Rem autem esse, actionem ipsam humanam, quæ sit pro materia visibili.

Compend. Theo.  
lib. 6. cap. 20.

9. Con-

## Disputatio altera.

9. Et Concilium Trident. dicit, Tres actus pœnitentiae, cordis scilicet contritionem, oris confessionem, & operis Satisfactionem: esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiae. Vel quasi.

10. Non modo friuola sunt hæc & nugatoria, sed etiam monstra & portenta verborum, & opinionum, figmenta & commenta hominum ociosorum, carentia non solum omni Scripturæ sacræ fundamento, sed & Patrum vetustiorum testimonio. Qui rectè, ut Augustinus habet, externū aliquod requirunt Elementum visibile, & palpabile, verbo DEI institutum, habens annexam promissionem gratiæ & remissionis peccatorum.

11. Sic in Baptismo vera est aqua elementaris. In Cœna Domini verus panis & vinum verum.

12. Actionem verò ipsam pœnitentiae, nullum esse tale Elementū externum, nullam materiam: omnibus est manifestum & eidens. Et de externis ritibus pœnitentiae, cuiusmodi fuerunt: stare certo templi loco, pullis vestibus induitū, non lauare, non vesci carnib[us] &c. nullum extat in sacra Scriptura Dei mandatum, nulla institutio, nulla promissio.

13. Hoc quidem verum est, & extra controversiam omnem possitum: Neminem post Baptismum lapsum, remissionem peccatorum consequi, nisi agat pœnitentiam.

14. Quid autem sit pœnitentia, & quomodo agenda, quibus partibus constet, in præcedenti disputatione dictū, & ex Scriptura sacra demonstratum est.

15. Errauit igitur Conciliabulum Tridentinum, dum anathematizat eos, qui negant pœnitentiam, verè & proprie Sacramentum esse à Christo institutum.

16. Deinde tres faciunt pœnitentia partes, Contritionem Compend. Theol. vel compunctionem cordis, confessionem oris, & Satisfactionem lib. 6. cap. 23.

A 3 nem

## De Pœnitentia

nem operis. Ut quia omne peccatum committitur corde, ergo vel opere: iustum esse, ut per contrarium curerur.

17. Atq; ita Pœnitentiam, qua est conuersio ad Deum, absq; fide docent isti belli Theologi, hominesq; pro impenetranda peccatorum remissione & reconciliacione cum Deo, ad propria & sola humana opera deducunt & ablegant. Illa enim tria alteram post naufragium tabulam faciunt, qua cum Deo reconciliati ad vitam eternam perueniant.

18. Sed talisfuit Iudæ pœnitentia, qui agnito peccato suo, serio doluit, & fuit contritus, confessus etiam ingenuè, publicè & coram sacerdotibus suum peccatum. Satisfecit quo, abiectis argenteis in templum. Et tamen non est consequitus veniam: quia fide caruit, ideo non veram aut salutarem habuit & egit pœnitentiam, unde desperauit. Talem docent isti homines in Ecclesia sua tota pœnitentiam.

19. Hic Pontificiorū error de tribus istis Pœnitentiae partibus, quibus eam absolui docuerunt, hinc ortus est: quod remissionem peccatorū, & iusticiam coram Deo, non fide gratis, per & propter Christi meritum nos consequi sentiunt, sed per & propter studia, & propria hominum opera, & labores, atq; actus istos tres Pœnitentiae, quos ad plenam perfectamq; peccatorum remissionem consequendam, requiri asserunt. De quibus, & contra quos, ordine agemus.

Compend. Theol. lib. 6. Cap. 24. 20. De Contritione docent, quòd sit dolor voluntariè pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Et hanc vocant definitionem Magistralēm.

21. Qua certè minime est Magistralis, sed indocta, impia & cum verbo Dei pugnans Contritionis definitio. Contritio enim, siue dolor iste non liberi arbitrij, seu virium est humanarum opus, cum corda hominum natura sua & absq; gratia Spiritus Sancti durasint, & lapidea, ac pœnitere ne-

scia:

## Disputatio altera.

*I*scia: sed *Spiritus Sancti opus est, qui per ministerium legis tanquam malleo ferreo conterit hominum corda, arguens peccata, propositis ira Dei & comminationibus horrendis contra transgressores. Et ita agnitis peccatis incutit terrores conscientiae. Sicut Hiskias dicit: Quasi Leo contriuit omnia ossa mea.* Ezech. 30.

22. *Deinde hanc suam Contritionem voluntariè, ut ipsi loquuntur, assumtam, tantam esse posse asserunt, quòd non solum culpa, sed etiam tota poena propter eam dimitatur, & conferatur gloria.* Compend. Theol. lib. 6. cap. 24.

23. *Quæ contumeliosa & in Christi passionem blasphemæ est vox, & sententia. Et si enim Deus velit turpitudinem peccatorum & iustum iram suam aduersus ea agnoscit, & ideo homines dolere propter offenditam Dei: tamen non meritur per & propter illa remissionem peccatorum, quæ solius Christi Mediatoris, redemptoris & propiciatoris est meritum, & beneficium gratuitum, quod fide homines sibi applicant.*

24. *Sic enim per Prophetam ait: Veruntamen seruire me Isa. 43. fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi labore in iniquitatibus tuis: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

25. *Hac in doctrina Euangeliū de Christo copiosè propounduntur. Vnicum tantum recitare placet electi illius organi, & praconis gratiae Christi, ubi ita scribit: Ut omnes obstruantur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria* ROM. 3.

*Dei*

## De poenitentia

Dei. Iustificat gratis per gratiam ipsius, per redemtionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae ipsius, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi.

26. Affirmamus quidem & nos, contritionem in pœnitentia esse necessariam, alteramq; eius partem. Sed hoc interest inter nostram & ipsorum de hac doctrinam: Quod isti affirmant, nos vero negamus, per & propter eam peccata remitti.

27. Non enim dolor noster, quem ex agnitione peccati homo concipit, voluptatem ex peccato perceptam compensat: sed Christus, qui dolores nostros ipse portauit, & attritus est propter scelera nostra: propter cuius solius obedientiam solam, fide sola, consequimur remissionem peccatorum.

28. Nam huic, non nobis, nostro ue dolori, testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Non enim est in alio quoquam salus: nec datum hominibus aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Christi, in quo omnis, qui credit, iustificatur, hoc est, à peccatis absolvitur.

29. Et contritio ista atq; dolor de peccatis admissis proveniens, si solus sit, & manserit, nihil nisi desperationem parit: quod in Cain & Iuda est videre. Tantum abest, ut peccatorum remissionem mereatur, illam expiet.

30. Est autem necessaria peccatorum agnitus, & inde subsequens dolor: quia hic ordo à Deo est institutus, quo vult, à nobis morbos animi, depravationem naturæ, & immundiciem propriam agnoscit, eisq; agnitus, ut expauescamus, & nos

Isa. 53.  
Rom. 5.

Act. 10.

4. Ibid. & 12.

## Disputatio altera.

nos coram ipso humiliemus, deg̃ medico simus solicii & circumspiciamus. Et hoc est, quod Apostolus dicit: Lex est pædagogus in Christum.

31. Quod igitur de Contritione & attritione disputant: & quidem dolorem seu contritionem tunc mereri remissionem peccatorū, cum fuerit perfecta charitate, vel dilectione Dei super omnia, perq̃ hanc hominem Deo reconciliari. Attritionem verò vocant, quando dolor oriatur in pænitentia ex metu Gehennæ, hancq̃ insufficientem & remotam dispositionem ad remissionem peccatorum, & multa in hanc sententiam.

32. Sciendum est primum, pænitentiam veram & salutarem, opus & donum Dei esse, dicente Apostolo: Ne quando 2. Tim. 2. de illis Deus pænitentiam, ut resipiscant à Diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad omne ipsius desiderium. Et Petrus Act. 5. de Christo: Hunc principem & saluatorem, Deus exaltauit dextera sua, ad dandam Pænitentiam Israëli, et remissionem peccatorum.

33. Deinde, quòd ad Contritionem attinet, nulla esse potest sufficiens, cum nec peccatorum multitudo, nec ira Dei aduersus illa magnitudo ab hominibus satis agnoscatur. Iuxta illud: Delicta quis intelligit? Item, Quis nouit potentiam iræ tuæ? Psal. 19.9a,

34. Præterea ad dolores istos quod attinet in contritione, sœpenumero idem sunt in eis, qui salutarem agunt Pænitentiam, & in quibus fides non accedit, ideoq̃ doloribus istis opprimuntur.

35. Sicut Dauid multoties in Psalmis grauissimè de illis conqueritur, Domine, ne in furore tuo arguas me, neg̃ in ira tua corripias me: quoniam turbata sunt ossa mea & anima turbata mea est valde: dies & noctes grauata est manus tua

B super

## De pœnitentia

¶ contexerunt me tenebrae. ne precipites anima mmeam cum his, qui descendunt in infernum: Domine, eduxisti me de inferno inferiori, saluasti me à descendantibus in lacum, dolores mortis circumdederunt me, & pericula inferni inuenerunt me. Deus redimet de inferno animam meam, dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

36. Discrimen autem facit inter dolorem & contritionem atq; pœnitentiam Cain & Davidis, Iude & Petri, fides in Christum, qua illi destituti, desperantes perierunt: Hi vero eructi, remissionem peccatorum & vitam sunt consecuti æternam. Et hæc de Contritione.

Concil. Trident. 37. De Confessione oris, seu auriculari, quam isti vocant  
Sess. de Confessio- Sacramentalem, docet Conciliabulum Trident. quod uni-  
ne cap. 5. Can. uersa Ecclesia semper intellexerit, institutam esse à Domino,

6. 7. 8. vel iure diuino, integrum peccatorum Confessionem, ad sa-  
lutem necessariam, eaq; sanctam Ecclesiam usam esse ab  
initio. Quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascen-  
surus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios, tanquam præsi-  
des & iudices reliquerit, ad quos omnia mortalia crimina  
deferantur cum omnibus circumstantijs, quæ speciem pecca-  
ti mutant. Ideoq; impium esse dicere, Confessionem, quæ hac  
ratione fieri præcipitur, impossibilem esse. Et si quis dixerit,  
eam à diuino mandato alienam, & inuentū esse humanum,  
Anathema sit. Hæc verba sunt & summa Concilij de Con-  
fessione auriculari.

38. Non negamus autem veterem esseritum Confessio-  
nis peccatorum in Ecclesia, & in Veteri ac nouo Testamento,  
eius fieri mentionem, usurpatamq;

39. Ideo & nos retinemus eam, maximè propter Absolu-  
tionem, quæ est verbum Dei, quod de singulis autoritate di-  
ginapronunciat potestas clavum, ut habet Apologia Augu-  
stanæ

## Disputatio altera.

stante Confessionis. Item, propter examinationem, ut instituti homines melius possint, prodesse eam iudicamus.

40. Sed non priuatam istam auricularem & Sacramentalem, de qua sola dimicant Pontificij, nos vero impugnamus: Verum publicam totius cœtus populi Israëlitici. Leuit. 16. 1. Reg. 8. Nehemia 9. Matth. 3. Marc. 1. confitentes peccata sua, & actus suos Act. 19. Quemadmodum adhuc hodie in cœtibus Ecclesiasticis publica sit peccatorum Confessio & solennis.

41. Sed haec Deo fiebat, & fit, non Sacerdoti proprio: sine à toto cœtu publicè, siue à singulis priuatim. Psal. 32. Dixi confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et publicanus in genere Luc. 18. confitetur peccata suo Deo: Deus, inquiens, propitius esto mihi peccatori, & Absolutionem ab ipso consequitur, iustificatus descendens in domum suam. Luc. 7. peccatrix gestibus & lacrymis confitetur peccata sua Christo, à quo etiam absolvitur: Remissa sunt, inquiens, tibi peccata tua.

42. Fuit & in Veteri Testamento Sacerdoti facta Confessio, cum quis Sacrificium offerret pro peccato vel delicto, aut si ex ignorantia peccasset.

43. Fieri etiam à Christo mandatur proximo, qui offensus est: hic vero remittere iubetur, si ille conuersus fuerit, a-gens Pœnitentiam. Quemadmodum & D. Iacobus scribit: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inui-cem, ut saluemini.

Luc. 17.  
Iacob. vlt.

44. Et haec in verbo Dei habentur de Confessione pecca-torum. Ceterum de scrupulosa ista Pontifícia, auriculari & Sacramentali peccatorum omnium, cum omnibus cir-

## De pœnitentia

cumstantijs enumeratione, quæ horribilis fuit conscientia-  
rum carnificina, ne gr̄y quidem in tota sacra Scriptura.

45. Nam quod Christus Apostolis suis in cœlos ascensu-  
rus dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis  
peccata, remittuntur. Et quorum retinueritis, retenta e-  
runt. Ex quibus verbis isti suam auricularem extruere con-  
antur confessionem: nequaquam iudicium, vel Apostolos, eo-  
rumque successores, iudices constituit, qui peccata singula per  
omnes circumstantias cognoscant, inq; aures sibi insusurrari  
audiant, & deinde pro qualitate delicti pœnas indicant &  
imponant reis: Sed Ministerium verbi instituit, & man-  
dat, ut omnibus peccatoribus credentibus in ipsum, remis-  
sionem peccatorum annuncient: quod alienum est beneficium,  
nemp̄ ipsiusmet Christi meritum, dispensare. Incredulis  
autem iudicium & damnationem denunciare. Atq; ita Ab-  
solutio non est iudicium, sed alieni beneficij executio.

LUC. 24. 46. Quod ipse met docet & exponit copiosius: Quoniam,  
inquiens sic scriptum est; & sic oportebat. Christum pati &  
resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius.  
Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gen-  
tes. &c.

47. Quod manifestè de Ministerio Ecclesiastico loqui-  
tur. ubi quidem Pœnitentia ab ipso fit mentio, similiter & re-  
missionis peccatorum: Confessionis autem auricularis nulla  
prorsus.

48. Sicut & emittens eos in orbem uniuersum, data in-  
structione ait: Euntes in mundum uniuersum, prædicate  
Euangelium omni creature: Qui crediderit & baptisatus  
fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.  
Non dicit, qui singula peccata per omnes circumstantias  
proprio Sacerdoti non confessus fuerit: sed qui non credide-  
rit, condemnabitur.

49. Que-

## Disputatio altera.

49. Quemadmodum & Baptista, & Christus, & Apostoli, quos à peccatis absolverunt, non ad singulorum peccatorum, multò verò minus circumstantiarum eorundem enumerationem adegerunt, contenti illorum Pænitentia, aut certè generali eorum confessione, Matth. 3. Marc. 1.

50. Quòd si verò sacramentum esset Pænitentia, cuius pars esset Confessio auricularis, ut isti volunt, necesse erat, eam à Christo esse institutam.

51. Sacramentorum enim institutio, potestatis est excellentia, ut locuti sunt Veteres, hoc est, omnipotentiæ diuinæ.

52. Nullum autem mandatum, aut verbum Dei monstrari potest in toto instrumento nouo, nullum consilium, nullum exemplum Confessionis istius auricularis omnium peccatorum cum circumstantijs eiusmodi omnibus, adeò ad salutem necessariæ, ut absq; illa, peccata remitti non possint, ut isti docent.

53. Nam quòd Iacobi vlti: habetur: Confitemini alterutrum peccata; & orate pro inuicem, ut saluemini: Non de Confessione ista auriculari, quæ proprio fiat, hoc modo, Sacerdoti, est accipiendum.

54. Alteruter enim non Sacerdotem significat, sed proximum quemuis offensum.. Huic facienda est confessio, & deprecanda culpa, atq; petenda venia, sicut supra ex verbis Christi est dictum, Propos. 43.

55. Post Apostolorum autem tempora, diuulgata prædicatione verbi Dei inter Gentes, cum Magistratus Politicus nondum nomina sua Christo dedisset, & crima quædam non puniret: ad disciplinam externam conseruandam, publica illorum confessio est introducta, Pænitentia iniuncta, & satisfactio imposta, quæ dicta est Exomologesis, de qua postea plura.

## De Poenitentia

56. Longius verò progressi, postea crebris Episcoporum adhortationibus factum, inq; Ecclesiam introductum est, ut qui peccassent, etiam priuatim, de quo non constabat publicè, nihilominus Sacerdotis sua detegerent peccata.

Basil. in Quæstio-  
nibus Compendio  
explicatis quæstio-  
ne. 288.

Lib. 9. cap. 35.  
Notabene origi-  
nem Confessionis  
priuatae.

Chrysost. de La-  
zaro, homil. 4.

Idem. in Epistol.  
ad Hebræos ho-  
mil. 31.

57. Basilius: Necessarium est confiteri peccata his, quibus administratio mysteriorum Dei concredita est.

58. Historia Tripartita: Visum est, ANTIQVIS PON-  
TIFICIBVS, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici  
populi delicta pandantur. Ad hanc rem ordinarunt presby-  
terum bona & conuersationis, sapientem, & seruantem decre-  
ti, ad quem accedentes qui deliquerant, propria fatebantur  
peccata. At ille secundum unius cuiusq; culpam indicebat &  
mulctam.

59. Hæc postea Confessio priuata Constantinopolia Ne-  
ibid. etario Episcopo abrogata est: quod presbyter ille euulgasset  
Confessionem mulieris nobiliss. quæ Confessa fuerat, cum  
Diacono se concubuisse. Quod publicatum, magno cum Ec-  
clesiæ scandalo fuit coniunctum.

60. Hinc Chrysostomus, Nectarij non in Cathedra solum,  
sed & in doctrina successor, non Sacerdoti peccata, sed Deo  
monet & præcipit confitenda: in hæc scribens verba: Dic tu  
peccata tua prior, ut iustificeris. Cur igitur te quæso pudes-  
cis et erubescis dicere peccata tua? Caeue enim dixeris ho-  
mini, netibi opprobret. Neg, enim conseruo effiteris, ut in  
publicum proferat: sed ei, qui Dominus est, ei, qui tui curam  
gerit, ei, qui humanus est, ei, qui medicus est, ostendis vul-  
nera. Et post aliqua: Non inquit Dominus, cogo te in me-  
dium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi  
solum dic peccatum priuatum, ut sanem ulcus, teg, do-  
lore

## Disputatio altera.

lo liberabo. Idem: Non tibi dico, ut prodas in publicum,  
neg<sup>r</sup>, ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ di-  
centi: Reuela viam tuam Domino. Ante Dominum ergo  
tua confitere peccata: apud verum iudicium, cum oratione, Non sacerdos, sed  
tua delicta pronuncia, non lingua, sed conscientia tua me- Deus iudex pec-  
moria, & tunc demum spera, misericordiam te posse conse- catorum.  
qui: si habueris in mente tua peccata continuè, nunquam  
malum aduersus proximum in corde retinebis. Et post: Nunc  
enim si recorderis peccatorum tuorum, & frequenter ea in  
conspectu Dei pronuncies, & pro eis eius clementiam de-  
preceris, citius ea delebis.

61. Idem illud Christi, quod aduersarij pro stabilienda Chrysost. super  
sua auriculari Confessione afferunt, ita interpretatur: Qua Matth. homil. 28:  
verò de causa iussit, ut seipsum ostenderet Sacerdoti, &  
munus offerret? Ut legem rursus utiq<sup>r</sup> impleret. Et paulò  
post: Et quid hoc, inquis, ad legis videtur spectare custodi-  
am, si dixit, ostende te Sacerdoti? Vel maximè. Erat  
quippe lex vetus, ne leprosus de emundatione sua ipse de-  
cerneret: sed ut conspectu se Sacerdotis offerret, & proba-  
tionem suam oculis eius exponeret, atq<sup>r</sup> ex illius sententia in  
numerum mundorum rediret. Hactenus Chrysost. sicut &  
in sequentibus nullam prorsus facit Confessionis auricula-  
ris mentionem, sed in literali sententia & explicatione le-  
prosi ad Sacerdotes, à Christo, propter & secundum legem  
Mosis, missi, perseverat.

62. Quod si iuris esset diuini Confessio auricularis, &  
ad peccatorum remissionem salutemq<sup>r</sup> consequendam neces-  
saria, nequaquam licuisset eam Episcopis quacunq<sup>r</sup> decan-  
sa abrogare.

63. Sed

## De pœnitentia

63. Sed ipsi negant Scriptores Ecclesiastici, & etiam Pontificij, ex sacra eam posse Scriptura probari: verum iuris esse humani, Ecclesiae cōsuetudine, vel traditio ue introductam.

64. Sic enim habet glossa de Pœnitentia distinct. s. capitulo primo, quod incipit: In Pœnitentia autem: sed melius dicitur eam (Confessionem) institutam à quadam uniuersalis Ecclesiae traditione potius, quam ex noui, vel veteris Testamenti autoritate. Et traditio Ecclesiae necessaria est, ut præceptum, ergo necessaria est Confessio in mortalibus apud NOS, apud GRAECOS NON. Quia non emanauit apud illos traditio talis.

65. Et Gratianus compilator Decreti de Pœnitent. dist. I. c. quamuis, paragrapho quibus: cum in utramq; partem disputasset, num Confessio iuris esset diuini, vel humani, his concludit verbis: Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraq; sententia innitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem horum potius adharendū sit, Lectoris iudicio reseruatur. Vtrāq; enim fautores habet sapientes, & religiosos viros.

66. Vixit autem Gratianus circa annum Domini 1155. quo tempore Confessio nondum erat Sacramentalis, nec ad salutem necessaria: nec iure diuino instituta: sed sapientes nihilominus & religiosi habebantur, qui non sentiebant, eam diuinitus esse institutam.

lib. 4. dist. 16. 17. 67. Paulò post autem, hoc est, 25. annis circiter, Magister Sententiarum Petrus Longobardus, sensit & docuit, Confessionem soli Deo factam, ad salutem non sufficere, sed etiam Sacerdoti faciendam, & ita auricularem Confessionem, ad salutem esse necessariam. Idq; Patrum testimonij probare conatur. Vbi plurimum se torquet, & contraria multa profert, eaq; conciliare studet.

68. Hinc

## Disputatio altera.

68. Hinc mox secutum post annos 35. circiter Concilium Lateranense, sub Innocent. 3. Anno Domini 1215. celebratū (ut in Actis & Tomis Conciliorum habetur) in quo de-  
cimum decretum est capitulū illud celebre: **Omnis utriuscumque  
sexus fidelis**, postquam ad annos discretionis peruererit,  
omnia sua solus peccata confiteatur fideliter semel saltem in  
anno, proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pænitentiam  
studeat pro viribus adimplere, suscipiens reuerenter ad mi-  
nus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de con-  
silio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem caussam ad  
tempus ab eius perceptione duxerit abstinentum. Alioquin  
& viuens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Christia-  
na careat sepultura: Vnde hoc salutare statutum in Eccle-  
sijs publicetur: ne quisquam ignorantie cætitate velamen  
excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti volue-  
rit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postu-  
let, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ille ipsum nō  
possit soluere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cau-  
tus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum  
vulneribus sanaciati, diligenter inquirens, & peccatoris cir-  
cumstantias, & peccati per quas prudenter intelligat, quale  
illi debeat consilium exhibere, & cuiusmodi remedium ad-  
hibere, diuersis experimentis utendo, ad sanandum agro-  
tum.

69. Ex his omnibus appareat, quam verum sit id, quod Patres Concilii Trident. tam splendide nugantur, magnaque verborum pompa gloriantur, & persuadere conantur: uni-  
uersam Ecclesiam semper ab initio, intellectisse, Confessio-  
nem omnium peccatorum, cum omnibus circumstantiis e-  
numerationem, à Deo esse institutam, & ad salutem eter-  
nam necessariam.

C

70. Sicut

Ist so wahr als  
wari einer leuge

## De poenitentia

70. Sicut & hoc falsissimum est, quod ibidem pronuntiatur: impium esse dicere, Confessionem omnium peccatorum cum omnibus circumstantiis impossibilem, & tantum inuentum esse humanum, adeo & anathema dicunt illis, hoc qui asserant.

71. Cum Spiritus Sanctus pronunciet, & experientia testetur, Neminem intelligere quoties peccet, & multa esse occulta, quae nos prorsus fugiunt. Vnde Psaltes inquit: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.

72. Hinc quoq; sacrificia in Veteri Testamento pro peccatis ignorantiae: nedum ut singula percensere possimus.

73. Ideo Christus in genere nos peccatorum remissionem a Deo docuit in preicatione Dominica, petere: nec laqueos volunt iniicere conscientiis, quasi integra peccatorum omnium Confessio, ad salutem sit necessaria. Quando enim statuet conscientia, integrum esse Confessionem?

74. Quare tanquam inuentum & commentum humanum, quod non ita longo durauit in Ecclesia tempore: sed carnificina ista conscientiarum a Christi aduersario, Antichristo, sedente in templo Dei, in Ecclesiam inuecta est, que paulatim incrementa sumpsit, cauendum, abrogandum, & Papisticæ relinquendum Ecclesie.

75. Quia tanquam fur & latro, clavum potestatem ad serapuit, & grauiorum peccatorum absolutionem sibi reseruauit, quæ casus vocant reseruatos.

76. Quasi aliud melius & efficacius ipse habeat Euangelium, verbum Dei, ministerium, atq; absolutionem, quam alii inferioris gradus ministri.

77. Cum aqualem Christus omnibus suis Apostolis & discipulis, etiam ratione donorum & gradus differentibus, remittendi peccata potestatem dederit.

78. Sicut unus & idem est baptismus, una & eadem Cæna Domini

## Disputatio altera.

Domini, quæ diacon⁹ administrat, et q̄ Pastor vel Episcopus.

79. Hoc erant utiq⁹, inquit Cyprianus, & ceteri Apostoli,  
quod fuit Petr⁹, pari cōsortio prædicti et honoris et potestatis.  
Episcopatus unus est, cuius à singulis insolidū pars tenetur. Cypr. de Simpli-  
citate p̄latorū.

80. Nam quod ad clauem discretionis, de qua multa gar-  
riunt isti, ad Reseruationem casuum defendendam, quod ea  
sit opus ad cognitionem magnitudinis peccatorum, & pro-  
bac impositione etiam conuenienti pœnarum, quasi medici-  
na congrua qualitati morborum animæ:

81. Proueniunt hæc omnia ex falso principio & presup-  
posito, quòd videlicet, Sacerdotes in agenda pœnitentia sint  
Judices: cùm tantum sint, & esse debeant Ministri, annun-  
ciantes verè pœnitentibus & in Christum credentibus remis-  
sionem peccatorum: Hæc eadem incredulis retinentes.

82. Hæc igitur est discretio generalis & uniuersalis omniū  
Ecclesiæ ministerorū, cuiuscung⁹ sint grad⁹ & ordinis, summi  
vel infimi, ut cognoscat ex confiteente, nū verè agnoscat sua  
peccata, & pp̄ter illa doleat ex animo, verè credat in Christū  
propositumq⁹ habeat emendandi vitam & mores in melius.

83. Hæc si audiat ex illo, annunciet ei remissionem pecca-  
torū per & propter solius Christi obedientiam: & non pp̄ter  
vel ppria, vel aliena merita, sive viuorū sive mortuorū ho-  
minū. Contrà verò omnib⁹ im pœnitentib⁹ peccata retineat.

84. Nam quòd ad Satisfactionem (quæ pœnitentia Papistice  
tertia est pars) docent Pontificij plærig⁹, eam nō quidem pro-  
desse ad remissionē culpæ (licet hoc, quoq⁹ ipsum in Compēdio  
Theol. affirmetur ut supra 22. habetur) sed fingunt prodessere  
ad redimendas pœnas seu purgatorij post hāc vitam, seu alias,  
quas Deus remissis peccatis infligat. Cū enim sit misericors,  
ideo p & propter Christi passionem gratis culpam remittere,  
cū verò etiam sit iustus, eū punire peccata, sed mutare pœ-  
nam æternam in temporalem, p qua sit vel satisfaciendū in  
hac vita, vel patiendū in purgatorio.

85. Satis-

## De pœnitentia

85. Satisfactionem autem vocant opera indebita supererogationis, nempe ieunia, eleemosynas & preces: non sicut à Deo præscripta sunt sed sicut à Sacerdote in Confessione injuncta, vel sponte suscepta sunt, nempe certa forma ieunii, eleemosynarū præscript⁹ modus, certarū precularū numer⁹.

86. Hoc modo Conciliabulum Trident. docet, nos satisfaciendo pati pro peccatis, ut Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiamur. Hanc verò satisfactionem, quam pro peccatis nostris exoluimus, non ita nostram esse, ut non sit per Christum Iesum. Verba sunt istorum:

87. Horrendæ sunt hæ tenebrae & blasphemiae in vera Dei Ecclesia, in tanta verbi Dei luce inaudite, ideoq; non ferenda, sed refutanda, non verbis tantum, quod nos possumus, sed igni infernali, qui istos manet.

Iohan. 3<sup>o</sup>. 88. Purgatorius enim ille ignis ab Ethnicis excogitatus, nullus est.. Cum Scriptura sacra duo tantum doceat esse loca, cælum & infernum: sicut duo etiam tantum hominum genera Christus facit, credentium, qui vitam habent aeternam, & in iudicium non veniunt: & incredulorum, qui damnantur.

Rom. 3<sup>o</sup>. 89.. Et solus Christus unicus est redemptor, Mediator, 1. Tim. 2<sup>o</sup> propiciator, & satisfactio pro peccatis, non nostris tantum, 1. Iohan. 2<sup>o</sup> sed totius mundi peccatis: qui unica sua oblatione consummavit in perpetuum sanctificandos. Hic iustitiae Dei satisfecit per soluto precio redemptionis nostræ, per proprium suū sanguinem..

Isa. 53<sup>o</sup>. 90. Nec proculpat tantum, sed etiam pœna eterna Christus satisfecit & passus est. Dominus enim posuit in eum omnium nostrum iniquitates: & dolores nostros ipse portauit, castigatio super eum, ut nobis esset pax.

91. Mutatio igitur illa pœna eterna in temporalem, nō solum

## Disputatio altera.

solum fígmentū est humanū, sed etiam imminutio meriti & passionis Christi. Hic enim absorpsit mortem in aeternum. Osc. 13o.  
Ego, inquit, mors tua ô mors, morsus vel venenum aut pe- Iohan. 5o.  
stis tua inferne. Qui credit in me, habet vitam aeternam:  
in iudicium non veniet, sed per mortem transiuit in vitam.  
Christi ergo mors, satisfactio est pro aeterna morte.

92. Et claves ministerij Ecclesiastici nec imponere, nec tol-  
lere pœnas peccatorum possunt. Illud enim in annunciatione  
remissionis peccatorum consistit, vel etiam retentione illo-  
rum. Deus autem pœnas illas pro suo arbitrio & iudicio in-  
fligit & tollit. Ideo absurdum est, fingere, propter talia ope-  
ra pœnas peccatorum temporales remitti.

93. Deinde impia quoq; illa est, & in Christum eiusq; pas-  
sionem blasphemæ opinio. Christus enim non ita nos libera-  
uit à peccato siue culpa, ut nobis pœnam vel ex toto, vel ex  
parte, nostris operibus vel passionibus redimendam relique-  
rit. Sed cū tollere culpam, sit placare iram Dei, & mors ater-  
na aliud non sit, quam sentire iram Dei horrendam: scien-  
dum est, culpam & mortem aeternam simul tolli, propter  
Christum, non propter ullum nostrum opus, aut passionem.  
Iuxta illud: Ego morstua ô mors.

94. Nec Deus, ut isti fingunt, pœnam aeternam com-  
mutauit in temporalem, studijs hominum expiandam: sed  
per Christum, mortem aeternam vinci, & tolli ut iam dictū.  
& probatum est, voluit..

95. Porro calamitates piorum quod attinet, qui inter-  
dum accepta remissione peccatorum in hac vita affliguntur  
& subiiciuntur cruci, & non tantum communibus ærum-  
nis, sed etiam peculiaribus pœnis premuntur, propter certa  
quædam peccata, ut David &c.

96. Sciendum est, hoc non esse uniuersale, nec semper, nec  
omnibus.

## De pœnitentia

omnibus à Deo illas imponi in hac vita: sicut nec Petro Christus imposuit certas calamitates, quibus satisfaceret pro suo peccato. Lachrymas eius, inquit Ambrosius, lego, satisfactio nem non lego. Ita nec peccatrici, quam absoluit, nec Zachao, aut alijs. Sed paralytico à se sanato & restituto dicit: Vade, noli peccare amplius, ne quid grauius tibi accidat.

Luc. 7. 17.  
Ioan. 5.

97. Nec ideo imponuntur, ut pro peccatis suis satisfaciant. Antea enim habent remissionem peccatorum per fidem in Christū, qui est nostra satisfactio & propiciatio pro peccatis nostris. Sicut Nathan dicit Davidi: Dominus abstulit à te peccatum, non morieris.

98. Sed sunt castigationes istae, admonitiones de peccato in carne harente, de resipiscientia, ut perpetuò in vera & feria peccatorū agnitione versentur, & cruce admoniti, caueant, ne peccatum in corpore mortali regnet. Et ita sunt prophylactica ad pœnitentium utilitatem destinatae.

99. Deinde, exempli gratia proponuntur, ut alij admoniti illis exemplis, à peccatis deterreantur. Cum enim iudicium à domo Dei incipi at, quis finis erit impiorum?

Iere. 18.

100. Mitigantur autem, aut etiam tolluntur interdum prorsus, propter Christum mediatorem, acta pœnitentia vera. Sicut Dominus promittit per Prophetam: Si autem gens ista egerit Pœnitentiam à peccatis suis, agam & ego pœnitentiam super malo, quod decreui facere ei: sicut pepercit Nini uitis: si sciat hoc ex re ipsorum esse.

Rom. 8.

Luc. 17.

101. Quod porrò de operibus satisfactionis dicitur, esse supererogationis & indebita, nuge sunt, & ex inscitia & ignorantia Scripturæ, & rerum Theologicarum orta. Nulla enim bona opera sunt indebita. Sumus enim debitores & obligati ad totam legem seruandam. Et, si feceritis omnia,

qua-

## Disputatio altera.

quacunq<sup>s</sup> m<sup>a</sup>n<sup>d</sup>a s<sup>unt</sup> vobis, dicite: serui i<sup>n</sup>utiles sumus,  
quod DEBVIMVS facere, fecimus.

102. Hec verò nunquam fiunt in hac vita, nedum ut plus  
bonorum operum facere possimus, quām nobis est manda-  
tum.

103. Portenta igitur & monstrata sunt verborum, non so-  
lum cum impietate, sed etiam blasphemia Christi, qua meri-  
tum eius obscuratur, coniuncta, affirmare: Nos satisfacien-  
do pati pro peccatis, ut Christo, qui pro peccatis satisfecit,  
conformes efficiamur.

104. Primum enim deprauat Conciliabulum & corrum-  
pit genuinam dicti Apostolici sententiam. Etsi enim pii  
patiantur aduersa, quibus conformes fiunt suo quodam mo-  
do, maginis Christi: (qui passus est ipse pro nobis, relinquens  
vobis, inquit Petrus, exemplum, ut sequamini vestigia  
ipius) tamen non idem est effectus vtriusq<sup>s</sup> passionis, Chri-  
sti & piorum. Illa enim sola aliis salutem contulit, & re-  
missionem peccatorum. Hec verò nec ipsis, qui patiuntur,  
nec alijs meretur remissionem peccatorum & vitam ater-  
nam.

105. Christus enim torcular ita solus calcavit, vt non  
vir de populis cum eo. Hanc gloriam alteri non dat, nec  
quenquam in huius societatem admittit. Stratum nimis  
est angustum, duos non capit. Sed unica sua oblatione,  
consummat in aeternum sanctificandos. In Christo su-  
mus perfecti & consummati. Hic unus est & solus Me-  
diator, Redemptor, Satisfactio, Satispassio, expiatio & pro-  
piciatio pro peccatis nostris.

Isa. 63:1

106. Faces-

## De poenitentia

105. Faceſſant igitur hinc, omnes omnium hominum aliorum ſatisfactiones pro peccatis. Præſertim cùm omnes noſtre iuſtitiae ſint tanquam pannus menstruatae: tela ſunt aranearum, & folia fici, quibus male tegimur.

106. Beati autem quorum tecta ſunt peccata: ſed indu- mento iuſtitiae & paſſionis Christi, qui ſolus & uetus ſatis- paſſus eſt pro illis. Hunc in Baptismo per fidem induimus Gal. 3. Quicunq; in Christo Iesu baptizati eſtis, Christum induiſtis, cuius ſanguis noſ emundat ab omni peccato.

107. Christiani autem ſuo quisq; loco ſequuntur veſtigia eius atq; exemplum, & patiuntur alias ob cauſas, alioq; fine.

108. Quod ergo Conciliabulum dicit: Satisfactionem noſtram, quam pro peccatis noſtris exoluimus, non ita noſtram eſſe, ut non ſit per Christū Iesum: more Papiftico ſunt adiecta: ut cum petunt ſe iuuari meritis & interceſſione ſan- etorum, per Christum Iesum, coniungunt illos cum Christo, quaſi hic non ſolus ſufficiat, ſed indigeat alieno adminiculo: cùm diſerte dictum ſit: Gloriam meam alteri non dabo, nec honorem ſue laudem meam ſculptilibus.

Iſa. 2.

109. Cum igitur sancti mortui, veletiam viui ratione ſuorum operum, meritorum aut paſſionum, in ſocietatem promerendæ ſalutis cum Christo venire afferuntur, horren- da committitur Idololatria: qua homines adorare pronun- ciantur opera manuum ſuarum, quæ fecerunt digiti eorum. Ideoq; iuſtè, cum Phariſeo ſua iactante merita, tanquam Idololatræ dannantur.

110. Et quod palliant colore induc̄to, quod exoluant ſatisfactionem pro peccatis, per Iesum Christum, error eſt tur- piſſimus. Christus enim non pro noſtris bonis operibus eſt paſſus, ut ea ſanctificaret in peccatorum noſtrorum expia- tionē, vel ut loquuntur Iesuitæ, ut ſuo ſanguine tingeret ope- rano-

## Disputatio altera.

ra nostra, quò & illis pro peccatis satis faceremus, aut satis pateremur pro illis: procul absit hoc ab omnium piorum cogitationibus: sed tantum pro malis nostris operibus, hoc est, peccatis, passus est ipse unus & solus, ut ea expiaret, ne propter illa damnaremur, sicut Apostolus inquit: Nulla iam damnatio est his, qui sunt in Christo Iesu.

III. Nec vergunt ista in honorem passionis & sanguinis Christi cum asseritur, Satisfactionem etiam, quam pro peccatis nostris exoluimus, esse per Christum Iesum. Nam, sicut recte Cassianus dicit: Non minoris est erroris, Domino Iesu Christo impropria addere, quam propria derogare. Quod enim de illo non dicitur, ut est, etiam si honori videatur, iniuria est.

112. Quare quod hypocrita in Tridentino decreto dicunt: Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absq; vlla satis- Trident. Concil factio ne peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata de satisfactionis leuiora putantes, velut iniurijs & contumeliosi Spiritui S. in necessitate & grauiora labamur.

113. Verum est iustitiae diuinæ esse, ne peccata sine satisfactione dimittantur. Constituit autem Deus premium pro nostris peccatis, non nostras passiones aut satisfactiones: sed mortem filij sui. Satisfecit enim pro illis Christus, & quidem solus & unus, & deleuit chirographum nostrum, quod contra nos erat scriptum, suo sanguine. Ideo non vindicandum bis in idem. Cum semel sit satisfactum, non altera exigenda satisfactio: Aut passio Christi, eiusq; satisfactio pro peccatis, non est sufficiens illorum expiatio.

114. Hinc ex precij magnitudine, quod non potuit alia inueniri victima pro peccatis, aut satisfactio, quam passio & mors filii Dei unigeniti, peccati quoq; magnitudo & grauitas conspicitur, & quidem multò melius, quam ex hominum peccatorum passionibus, si illæ dicantur (quod faciunt

Cassian. lib. 1.  
contra Nestorium.

D. Ponti

## De pœnitentia

Pontificii ) satisfactiones & satispassiones pro peccatis.

115. Cum his nihil mereantur, propterea quod iuste pa-  
giantur, quia supplicia ista meriti sunt sceleribus suis. Ut  
cum fur, latro aut alius facinorosus, ad supplicia retrahitur,  
pœnas ille dat suorum scelerum, & nihil hac passione mere-  
tur, cuius tamen in Papatu contrarium docuerunt.

Vide Tertull. lib. de pœnitentia. Cy-  
prian. lib. 2. epist. 7. lib. 3. Epist. 17. in Epist. lib. 1. Epist. 2. Ambro. libros de pœni-  
tentia. Item ex= hortat. ad pœni-  
tentias de pœ-  
nitentia. August. Enchirid. ad Laurent. cap. 65.

116. Porrò satisfactiones disciplina fuerunt Ecclesiastica,  
& pœnae ac castigationes iniunctæ ab Episcopis & Concilijs,  
quæ ritus certos, regulas, modos, tempora & annos præscri-  
pserunt & decreuerunt, quibus vel lapsi in persecuzione me-  
tu periculorum, abnegata fide, vel alias manifestis polluti  
sceleribus probabantur & explorabantur, num serio & ve-  
rè resipiscerent, an verò pœnitentiam tantum simularent:  
nec recipiebantur in communionem, nisi prius pœnas istas  
exoluissent. Et hæc dicta est Satisfactio Canonica, quo d' se-  
tentiam Chrysost. cundum Canones & decreta Conciliorum ageretur.

117. Sed hæc non erat satisfactio pro peccatis coram Deo:  
verum: disciplina fuit externa, & exercitia corporalia, qui-  
bus Ecclesiæ satisfiebat offendæ. Sicut Augustinus disertè scri-  
bit: Plerumq; dolor alterius, occultus est alteri, cum sit co-  
ram illo, cui dicitur, Gemitus meus non est à te absconditus.  
Rectè igitur constituuntur ab his, qui præsunt Ec-  
clesiæ, tempora pœnitentie, ut fiat etiam satis Eccle-  
siæ in qua remittuntur ipsa peccata.

118. Item exempli causa instituta fuit hæc Canonica satis-  
factio, ut alij his exemplis admoniti, diligentius vitam re-  
gerent, & mores, maioriq; cura lapsus cauerent.

119. Posteriori horum, seducti vocabulo Satisfactio-  
nis, & iam doctrina Pœnitentia obscurata & depravata su-  
perstitiosis opinionibus, putauerunt & docuerunt, esse reue-  
ra pro peccatis satisfactiones coram Deo: cum tamen ritus isti  
publicæ Pœnitentia, quod nimis essent graues, & negligentia

Episco-

## Disputatio altera.

Episcoporū sua sponte ceciderint & in desuetudinē abierint.

120. Fuit autem in primitiua Ecclesia necessaria hæc seueritas, etiam his de causis, quia tunc Ecclesia carebat Magistratus politici præsidio, ne videretur negligere ista scandala, eaq; approbare ut 1. Cor. 5. Apostolus de Corinthijs & incestuoso scribit: Et multa erant peccata, quæ tum profligitys non reputabantur, sicut fornicatio. Vnde & decreto <sup>Act. 130.</sup> Concilij Apostolorum gentes abstinere ab ea iubentur.

121. Ex ista ergo inscitia quod non intelligerent usum istarum satisfaktionum in Confessionibus vulgaribus, satisfactiones imposuerunt, peregrinationes ad Diuorum reliquias, laneis aut cilicio induitum, discalceatum, cataphractum, aut pisis etiam in calceos iniectis, precularum numerum, rosaria, & similes nugas. De quibus Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

122. Et tamen de his senserunt, quod per ea, tria magna Compend. Theol. bona nobis prouenant, scilicet, impreratio gratiæ, remissio lib. 6, cap. 30, pæna, & expurgatio reliquarum culpa. De quibus quid sit sentiendum, supra est expositum.

123. Horrendi sunt isti errores Pontificiorū, omnes hinc nati, orti & propagati, eo etiā tendunt, quod sentiunt isti & scribunt: Homines posse & debere pro peccatis suis Deo satisfacere propriis operibus bonis, & passionibus.

124. Sicut tota doctrina istorum de Pænitentia, Pharisæica est & hypocritica: Quod in conuersione peccatoris ad Deum, qua illum Deo reconciliari & salutem aeternam consequi docent, nullam prorsus Christi mediatoris & propiciatoris, proq; peccatis Satisfactoris faciunt mentionem. <sup>1. Tim. 2.</sup> <sup>1. Iohann. 2.</sup>

125. Similiter nec Fidei ne quidem verbulo unico meminerunt, sine qua impossibile est placere Deo, aut remissionem peccatorum consequi. Imò sola hæc instrumentū est, quo eam in Christo consequimur.

## De Pœnitentia Disputatio altera.

126. Tertio, falsum & hoc est, quod docent, propter contritionem si sit sufficiens, remitti peccata.

127. Quartò omnium & singulorum peccatorum enumerationem non solum esse possibilem, sed etiam per omnes circumstantias Sacerdoti proprio, necessario ad peccatorum remissionem, faciendam.

128. Quinto impium est & blasphemum, in sanguinem, obedientiam & meritum Christi, sentire & docere, homines operibus & passionibus suis satisfacere Deo pro peccatis, eaque expiari per illa, quod isti docent.

129. Hi tetri sunt errores Pontificiorum de pœnitentia, & detestandi, quibus doctrinam præcipuam, & maximè in Ecclesia filii Dei necessariam ac salutarem obscurauerunt, & penitus corruperunt Antichristi: & insuper iam in tanta verbi Dei luce, defendere non erubescunt.

130. Deo Patri liberatoris nostri Iesu Christi, toto peccatore agimus gratias, quod nos clementer ex illis erroribus Pontificiis, cum in hac, tum etiam in aliis partibus doctrinæ cœlestis liberauit accensa & instaurata luce verbi sui. Eundem supplices oramus ut ista Pontificiorum, aliorumque fanaticorum falsa dogmata confundat, & euertat, sinceramque, quam nobis hac postrema mundi delira senecta, patefecit doctrinam, propter semetipsum, & filium suum dilectum, apud nos conseruet, nec lucem verbi sui accensam, extingui sinat, sed ad posteritatem nostram, usque ad aduentum Iesu Christi Salvatoris & Iudicis veri propaget, perque eam semper ex nobis colligat Ecclesiam, quæ ipsum in hac vita vere agnoscat, inuocet, & hic & illic perpetuo celebret in omnem eternitatem, Amen.

F I N I S.




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-848564-p0031-5

DFG



# Farbkarte #13



5  
ERA DE POENITENTIA  
UTATIO: QVA PONTIFICIO-  
rum errores de hac refutantur.

De qua  
Divini Numinis aspirante gratia:

THORE ET  
IDE, CLARISSIMO VIRO,  
HEERBRANDO, S. S. THEOLOGIAE  
Professore Academæ Tubingensis eximio,  
re suo summa obseruantia colendo, 2. Aprilis,  
6. matutina, exercitij causa pro ingenij  
sui tenuitate, respondere cona-  
bitur.

M. PHILIPPVS GALLVS  
Halensis Saxo.



Ed. 67

TUBINGAE,  
ad Alexandrum Hockium, Anno 1585.

